



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Lourenço, Agostinho

Leodii, 1694

Sectio IV. De modo tendendi Visionis Beatæ practicè, & speculativè.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80131)

SECTIO IV.

De modo tendendi Visionis Beatae
practicæ, aut speculativæ.

87. **D**IFFICULTAS I. Utrum Visio beata intuitiva Dei sit notitia practica: an speculativa? Fuerunt hac de re plures sententia, quas tamen ad tres præcipuas reducimus. Prima sententia absolute defendit, Visionem beatam esse cognitionem adequatè practicam. Est communis Scotistarum cum Magistro Scot. q. 4. Prolog. §. Ad questionem, & q. 5. §. Contra. & §. Ad argumenta, quem sequuntur Lybret. & Viquer. ibid. Anton. Andreas q. 4. a. 3. ad 1. Herrer. in 1. Scot. d. 15. q. 13. concl. 1. Rada. contro. 3. a. 4. concl. 2. Orand. in 4. dist. 49. proposit. 1. & plerique alii.

88. Fundantur 1. Visio beata est dictamen, & regula, ut Beatus eliciat amorem beatificum; ergo est cognitio practica adequatè; siquidem hæc definitur: *Dictamen, seu mensura, & regula actionis elicienda, sive quoad entitatem, sive quoad modum illius*: amor autem beatificus est quædam actio elicienda, seu praxis quædam regulata, & mensurata per Visionem beatam, quæ illum antecedit. Respondeo quidquid sit de antecedente, de quo sunt duæ sententia opposita, statim proponenda, & negando consequentiam; nam sive Visio Dei respectu amoris beatifici sit practica, sive speculativa, aut etiam neutra, adhuc habet unde accipiat rationem speculativæ simul & practicæ; siquidem prout terminatur ad essentiam, & illius perfectiones, erit speculativa: prout autem ad plures creaturas, aut actiones Beati regulandas, erit practica.

89. Fundantur 2. Beatus in Deo clarè visio optimè intelligit, qua ratione debeat elicere quacunque actiones circa ipsum Deum, quales sunt actus reverentia, laudis, orationis, & similes; ergo tota Visio beata est practica. Respondeo negando consequentiam; licet enim per Visionem beatam attingantur illæ veritates practicæ, & prout sic Visio sit practica, etiam attinguntur veritates aliæ speculativæ, propter quas etiam rationem speculativæ induit.

90. Fundantur 3. Ex cognitione finis colliguntur media, ut in ordine ad illum regulentur, quæ regulatio, & directio ad cognitionem practicam spectat; sed Visio beata est cognitio finis simpliciter ultimi, qualis est Deus; ergo &c. Confirmatur, quia omnes actus voluntatis rationabilis, sive naturales, sive supernaturales supponunt in intellectu regulam ejusdem ordinis; sed circa Deum clarè visum dantur actus voluntatis maximè rationabiles; ergo Visio beata erit eorum regula; consequenterque est cognitio practica. Respondeo ex hoc fundamento, & illius confirmatione, verum quidem assumentem, solum colligi Visionem beatam esse practicam, quod fatemur, addentes tamen, esse simul speculativam, quod non impugnatur.

91. Secunda sententia extremè opposita asserit, Visionem beatam esse adequatè speculativam. Ita Bassol. in Prolog. q. 8. a. 2. §. De Theologia, Ocham. ibid. q. 4. & 12. ab 2. & 3. Henric. in sum. a. 8. q. 3. ad 3. P. Vafq. 1. 2. d. 12. cap. 1. §. Verum. & alii: Pro quibus: Argues 1. D. Aug. lib. 1. de Trinitate. docet nobis promitti contemplationem tanquam æternam gaudiorum perfectionem; cui consonat aliorum Sanctorum Patrum effatum, cessaturam scilicet

in Beatitudine vitam activam, - & solam contemplativam permanuram; ergo &c. Respondeo D. Aug. verè loqui de Visione Dei, prout est Beatitudo, quia prout sic solum terminatur ad Deum objectum primarium, & solum speculativa est, quod non tollit, quominus sit practica, prout terminatur ad creaturas. Reliqui autem Patres intelligendi sunt de cessatione vitæ activæ quoad opera externa, quibus in hac vita proximorum necessitatibus occurritur; & non quoad omnes operationes practicas.

Argues 2. Cognitio speculativa est præstantior practica; sed Visio beata est præstantissima omnium cognitionum, utpotè finis ultimus naturæ rationalis; ergo merè speculativa esse debet. Respondeo cognitionem speculativam esse præstantiorem practica cæteris paribus; sicque Visio beata quæ speculativa est, excedit omnes cognitiones simpliciter: quæ verò practica est, si non sub hac ratione, saltem quæ ultimus finis est, excedit etiam omnes alias cognitiones speculativas.

Argues 3. Munus cognitionis practicæ est ex se ordinari ad praxim, ut ad finem; sed Visio beata nequit ordinari ad finem, cum ipsa sit finis ultimus; ergo non est practica. Respondeo negando majorem; nam Cognitio Increata est perfectissimè practica; & tamen non ordinatur ad praxim, ut ad finem, sed illum tantum dirigit, ut effectum, & ita se habet Visio beata.

Tertia sententia, quam ut probabilior sequimur, affirmat, Visionem beatam esse cognitionem speculativam simul, & practicam, ita D. Thom. in 4. dist. 49. q. 1. a. 1. question. 3. & 1. 2. q. 3. a. 5. & 1. part. q. 1. a. 4. Cater. 1. 2. q. 3. a. 5. Scot. in 4. dist. 49. q. 1. a. 4. Richard. ibid. a. 1. q. 8. P. Valent. 1. 2. d. 1. quest. 3. punct. 4. P. Mol. 1. p. q. 1. a. 4. d. 2. post conclus. 4. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 18. n. 11. & in Met. d. 4.4. sect. 13. n. 45. & 52. P. Sal. 1. 2. tr. 2. d. 3. sect. 5. n. 26. P. Fonf. lib. 6. Met. cap. 1. q. 2. sect. 7. P. Gil. tom. 2. tr. 8. cap. 2. n. 5. & Egid. lib. 4. de Beatit. q. 9. a. 5. §. 1. & alii.

Ante probationes advertes ex receptissima Theologia, & Philosophia, ut jam alibi diximus, notitiam practicam esse dictamen intellectus de opere faciundo, aut modo servando in operatione elicienda: praxim verò esse operationem ipsam faciendam, aut regulandam per ipsum dictamen practicum. Deinde, notitiam speculativam esse cognitionem objecti sistentem in solâ contemplatione veritatis cognita, quin ulterius operationem, aut illius modum regulet. Undè à D. Thom. in 4. dist. 49. cit. Notitia practica dicitur causa operis, non ita verò speculativa, quod communiter recipiunt cæteri Theologi. His positis.

Probatur primò à priori, quia Visio beata est cognitio perfectè satians appetitum rationabilem sciendi in quolibet Beato; sed hujusmodi appetitus extenditur ad omnes scientias non solum speculativas, sed etiam practicas; ergo Visio Beata est essentialiter cognitio speculativa simul, & practica. Secundo, quia per Visionem beatam clarissimè & perfectissimè cognoscuntur in Deo omnia illa, quæ in via per habitum fidei attingebantur obscure, sed per hunc attinguntur in via veritates, tum speculativæ, tum etiam practicæ; neque enim repugnat, quod unus, idemque numero habitus sit simul speculativus, & practicus, ut ex alibi dictis constat; ergo etiam per illam attingi debent eadem veritates; neque enim repugnabit, quod simul speculativa sit, & practica.

97. Tertiò, quia Visio Beata est perfectissima participatio Scientiæ Increatæ; sed hæc ex communi Theologorum sententiâ est speculativa simul, & practica; ergo etiam illa. Quartò, quia si Visio Beata non esset speculativa simul, & practica, Beatus per illam non esset sufficienter instructus ad omnes suas actiones dirigendas, sed ad id indigeret aliâ scientiâ à Deo communicatâ; hoc autem aliquid imperfectionis argueret in ipsâ Scientiâ beatificâ, ut patet; ergo &c. Quintò, quia visioni Beatæ tribuenda est major perfectio in ratione cognitionis creatæ, cum sit omnium perfectior; sed perfectior est cognitio speculativa simul, & practica, quam solum speculativa, aut solum practica; ergo &c.

98. Ex dictis rejicienda est ut improbabilis sententia Agid. Roman. q. ult. prolog. in fine, & ad ult. & Argent. ibid. q. 4. art. 4. ad 3. quatenus asserunt, visionem Beatam, neque speculativam, neque practicam esse, sed fructivam, quemadmodum & nostra Theologia hujus vitæ, neque practica est, neque speculativa, sed affectiva. Nam cum dari nequeat cognitio, quæ aut non referatur ad opus aliquod, aut in purâ veritatis consideratione non quiescat, nulla etiam reperietur, quæ aut practica, aut speculativa non sit; nisi fortè utramque rationem simul participet, ut de Scientiâ Increata, & de Theologia nostra hujus, & alterius vitæ communis docent Theologi. Undè rationes practici, & speculativi immediatè dividunt noticiam, aut cognitionem judicativam.

99. Difficultas 2. Utrum visio Beata sit speculativa simul, & practica respectu utriusque objecti, tam primarii, quam secundarii? Dico 1. Visio Beata respectu objecti primarii, quod est Deus, & quæcunque in eo formaliter continentur, est speculativa. Probatur, quia Notitia practica de se respicit operationem efficiendam, & à se modo aliquo regulandam; sed Deus, & quæ in eo formaliter continentur, rationem operationis non exercent respectu Beati, ut constat; ergo ab eo non practice, sed solum speculative attinguntur.

100. Dico 2. Visio Beata respectu objecti secundarii partim est practica, partim speculativa. Probatur, quia Notitia speculativa est illa, quæ sinit in mera veritatis contemplatione; practica autem versatur circa objectum operabile; sed objectum secundarium visionis Beatæ, nempe creaturæ, partim ut operabiles, partim ut non operabiles ei obijciuntur, ut supra ostendimus; ergo &c.

101. Difficultas 3. Utrum visio Beata formaliter: an solum eminenter sibi vendicat utramque rationem speculativæ simul, & practicæ? Dico 1. Visio Beata utramque rationem speculativæ scilicet simul, & practicæ continet eminenter. Ita P. Fons. P. Mol. P. Sal. P. Gil. Agid. & alii proximè citati. Probatur, quia Visio Beata in una, eademque entitate omnino indivisâ continet id, quod in cognitionibus minus perfectis importatur per duas cognitiones re ipsa distinctas; ergo illas continet eminenter, eisque æquipollet; siquidem hæc contentia eminentialis non pugnat cum formali; nam anima rationalis, cum formaliter sit sensitiva, & vegetativa, dicitur hujusmodi gradus continere eminenter, quia æquipollet distinctè habentibus.

102. Dico 2. Visio Beata utramque illam rationem continet etiam formaliter. Ita Doctores citati. Probatur, quia visio Beata creata ita se habet, sicut se habet Increata; cum sit illius perfectissima participatio, sed hæc est formaliter speculativa

simul, & practica; ergo etiam talis erit & illa.

Difficultas 4. Utrum ex his duabus rationibus principalior sit in visione Beata ratio speculativæ? Affirmativè. Ita Doctores cit. Probatur, quia in visione Beata ratio principalior debet esse, quæ desumitur ex objecto primario, quam quæ desumitur in ordine ad secundarium; sed ratio speculativæ desumitur in ordine ad objectum primarium; practicæ verò in ordine ad secundarium; ergo illa est principalior.

Difficultas 5. Utrum Visio Beata in ordine ad amorem beatificum sit cognitio purè speculativa? Affirmativè. Ita P. Fons. lib. 6. Met. cap. 1. quasi 5. sect. 2. P. Vasq. 1. 2. d. 12. cap. 1. n. 2. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 18. n. 12. P. Gil. tom. 2. tract. 8. cap. 2. à num. 7. & tenet Scor. q. 4. Prolog. litt. M. §. Illud amare, juxta sententiam magis receptam asserentem, amorem beatificum esse actum necessarium.

Probatur primò, quia amor beatificus est actus necessarius, & non liber, ut cum probabiliori sententia infra probabimus; ergo solum terminare potest cognitionem purè speculativam, & non practicam; siquidem sola illa operatio rationem praxis sibi vendicat, quæ pendet à libera voluntate eliciente, aut imperante; actus verò necessarius voluntatis libertatem de se non curat. Confirmatur, quia praxis est operatio regulata juxta normam, & leges Notitiæ practicæ; ergo sine necessaria sit, non poterit prædicto modo regulari, siquidem, quod necessarium est, de se determinatum est ad unum; consequenterque est omnino incapax regulæ, aut normæ ab alio præscriptæ, ut patet.

Probatur secundò ex Philosopho 3. de Anim. cap. 10. text. 51. & 6. Ethicor. cap. 1. asserente, noticiam practicam versari circa id, quod aliter se habere potest; nam si aliter se habere non potest, ex se ipso regulatum est, ac determinatum, nec ulterius dirigi, aut regulari potest; sed amor beatificus, cum sit actus necessarius, aliter se habere non potest; ergo neque terminare cognitionem practicam. Confirmatur, quia Notitia practica est notitia prudentialis; sed prudentia solum circa actiones liberas, quas sic, aut sic moderari queat, versari potest; amor verò beatificus est actus necessarius, & non liber; ergo &c.

Oppositum censet Scor. q. 4. Prolog. ad 1. quem sequuntur Scotistæ cit. num. 87. & ex aliis Sor. in 4. dist. 49. q. 1. art. 4. P. Mol. 1. p. q. 1. art. 4. d. 1. ad finem, & d. 2. §. Pro solutione. Zumel. ibid. q. 1. Conclus. 5. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 3. sect. 5. num. 26. & alii: pro quibus: Objicies 1. Notitia practica est dictamen de operatione aliqua exercenda, pro ut supra diximus; sed Visio Beata est hujusmodi dictamen respectu amoris beatifici; siquidem per illam non solum cognoscitur Deus ipse in ordine ad se, sed etiam in ordine ad actum amoris beatifici, cognoscente simul ipsâ potentiâ intelligendi, quod Deus sit amore beatifico summè diligendus, & quod maximè honestum sit Deum summè amore prosequi; ergo Visio Beata praxim dirigit circa amorem beatificum.

Respondeo negando minorem, ad cujus probationem dicimus, hoc quod est cognoscere, Deum esse amore beatifico summè diligendum, aut maximè honestum esse, Deum summo amore prosequi, non esse cognitionem practicam; siquidem non præscribit modum, aut normam operationi, seu actui amandi, qui necessarius est, sed esse directivam amoris eo modo, quo cæteræ intellectiones creatæ dirigunt actiones necessarias voluntatis, vel aliarum potentiarum.

Objicies

109. Obijcies 2. Ut actio aliqua in toto rigore praxis dici queat, opus non est, quod à potentia libera egrediatur, sed satis est, quod per verum dictamen potentiae intelligentis dirigatur; atqui amor beatificus ita dirigitur; ergo &c. Respondeo supponi falsum posse actionem dirigi per dictamen intellectus, quin sit libera; sicque non potest rationem praxis propriae habere, quin à potentia omnino libera, prout talis est, egrediatur.

110. Instabis: Visio Beata non aliunde est practica in ordine ad creaturas, nisi quia actiones circa illas dirigit; sed ita dirigit circa amorem beatificum elicendum; ergo &c. Respondeo Visionem Beata in ordine ad creaturas esse practica, quia circa illas directiva, & regulativa est actionum liberarum, seu quae aliter se habere possunt; quod tamen habere non potest in ordine ad amorem beatificum, ut diximus.

SECTIO V.

De discursu, & certitudine Visionis Beatae.

111. **D**IFFICULTAS 1. Utrum Visio Beata sit cognitio discursiva? Dico 1. Visio Beata non est formaliter discursiva. Ita D. Thom. q. 8. de Verit. art. 15. ad 1. & q. unica. de Anim. art. 7. ad 4. Cabrer. 3. p. q. 10. art. 4. d. 5. num. 44. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 18. n. 7. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 3. sect. 3. n. 3. P. Gil. tom. 2. tract. 8. cap. 1. n. 11. P. Soar. Luffit. de Anim. 17. 3. d. 3. n. 160. P. Tellez. d. 85. sect. 3. n. 8. Aegid. Luffit. lib. 5. de Beatit. q. 8. art. 1. § 2. n. 14. Lorca tom. 1. in 1. 2. d. 18. § secundum dubium. P. Ripal. d. 55. n. 40. quorum plures jam citavimus in Log. tract. 5. d. 4. n. 135. ubi jam de hac, & sequenti conclusione, & ideo de illis hic breviter.

112. Probatur primo à priori, quia cognitio formaliter discursiva solum reperitur, quando potentia ob defectum luminis, speciei, aut aliud impedimentum ex parte potentiae, vel objecti appositum, non potest penetrare effectum in sua causa, ut utrumque unâ, eademque cognitione attingat, sed efformando prius cognitionem causae, ex ea manuducitur ad eliciendam aliam cognitionem effectus causatam ab illa priori; atqui in Visione Beata nulla huiusmodi imperfectio reperitur, neque ex parte luminis, quod est perfectissimum, neque ex parte speciei, quae est ipsa Essentia Divina, neque ex parte objecti cognoscendi, quod est ipse Deus; ergo quidquid ratione luminis gloriae Beato est manifestabile, unâ, eademque cognitione percipit, & sine ullo discursu.

113. Probatur secundò, quia communior Theologorum sententia, quos citat, & sequitur P. Soar. lib. 2. de Angel. cap. 33. non admittit in Angelis huiusmodi discursum, saltem quoad evidenter cognita, ex eo, quod causas, eorumque effectus unico intuitu simul attingunt ob perfectionem luminis, & specierum; sed in Beatis lumen, & species sunt perfectiora, ut constat; ergo &c.

114. Probatur tertio, quia Theologi cum D. Thom. cit. ut videre est apud P. Soar. tom. 1. in 3. p. d. 28. sect. 2. § Dico 1. & P. Vasq. ibid. d. 52. cap. 3. n. 18. excludunt huiusmodi discursum à Scientia per se infusa Christi Domini ob illius perfectionem, utpotè utens lumine, & speciebus perfectissimis; ergo ob eandem rationem excludi debet à Visione Beata.

115. Probatur quartò, quia Visio Beata est perfectissima participatio Visionis beatificae Increate; sed huic denegare solent Theologi cum D. Thom. 1. contr. gent. cap. 88. & 1. p. q. 14. art. 7. ut vidimus in Log. tract. 5. d. 4. à num. 187. omnem rationem discursus; licet enim perfectissime cognoscat effectus in suis causis, utrumque tamen unâ, & eadem cognitione simul attingit absque ratione causalitatis, & dependentiae ob summam perfectionem luminis Increate; ergo Visioni Beatae deneganda erit ratio discursus, saltem formalis.

116. Oppositum tenent aliqui Recentiores cum P. Arriaga tom. 2. in 1. p. d. 51. n. 13. & P. Recupit. qui tamen adeò clarè non loquuntur: pro quibus: Argues 1. cum Mayron. quodlib. q. 2. ad 1. & q. 14. Prolog. §. Sed contra. Bassol. ibid. q. 1. art. 1. Lycher. q. 4. dicto 3. qui hanc sententiam secuti sunt: Visio Beata cognoscit creaturas ex ratione Essentiae divinae prius cognita, quae secundum suas perfectiones est ratio cognoscendi illas; sed quando cognoscitur unum ex vi alterius prius cogniti, datur ratio discursus; ergo &c. Respondeo distinguendo minorem: datur ratio discursus, vel formalis, vel virtualis; concedo minorem: semper formalis; nego minorem: hunc autem negamus in Visione Beata ob rationes assignatas; de discursu autem virtuali, quem ad plurimum probat argumentum, infra dicemus.

117. Argues 2. Visio Beata habet rationem perfectissimae scientiae; sed hæc per discursum comparatur, ut constat; ergo &c. Respondeo Visionem Beatam esse quidem scientiam perfectissimam, non tamen definitam ab Aristotele, idest, causatam ab antecedente cognitione distincta, sed à cognitione perfecte attingente effectum in causa, & propter causam, seculis imperfectionibus pluralitatis cognitionum, & dependentiae, quas habet Scientia ab Aristotele definita.

118. Argues 3. In cognitione naturali Angelica conceditur ratio discursus, etiam circa evidentia, ex sententia Scot. & aliorum apud P. Soar. lib. 2. de Angel. cap. 33. an. 1. quam etiam in Scientia per se infusa Christi Domini, saltem quoad usum, concedit D. Thom. 3. p. q. 11. art. 3. & cum eo Caiet. Medin. & alii; ergo etiam in Visione Beata concedi poterit: sicut enim Visioni Beatae competit supernaturale lumen adequatum objecto cognoscendo, ita proportionem servatâ, cognitio Angelica in intellectu Angeli naturale lumen & speciem adequatam objecto præsupponit: similiterque Scientia per se infusa Christi Domini utrumque hoc principium supponit supernaturale.

119. Respondeo negando antecedens quoad utramque partem; probabilior enim sententia, quam cum multis tenuimus in Log. tract. 5. d. 4. à n. 111. affirmat nullum dari in Angelis discursum formalem, saltem circa evidentia, idque ob rationes supra, & loco cit. adductas, ut latè probat P. Soar. loco cit. de Angel. à num. 9. Idem etiam ut certissimum existimo de Scientia per se infusa Christi Domini, ut latè probant Recentiores loco cit. 3. p. & nos satis ostendimus ex dictis in Logica tract. 5. d. 4. à num. 128. unde argumentum ad plurimum solum probat de discursu virtuali: pro quo:

120. Dico 2. Visio beata est virtualiter discursiva. Ita P. Soar. cit. & lib. 2. de Angel. cap. 33. num. 5. P. Granad. tom. 1. d. 2. n. 2. P. Sal. cit. P. Soar. Luffit. cit. n. 165. P. Tellez. cit. & alii. Probatur primò, quia Visio beata primariò attingit Essentiam Divinam, & ex illâ prius cognita attingit secundariò